



Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

DISSERTATIO IVRIS NATVRALIS

DE
GENVINA IVRIS VOLVNTARIII
SPECIATIM DIVINI INDOLE EIVS-
QVE A IVRE NATVRALI
DISCRIMINE

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINI NVMINIS
ET
RECTORIS MAGNIFICENTISSIMI
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI
DOMINI
ERNESTI AVGVSTI
CONSTANTINI
DVCI SAXONIAE IVLIACIS CLIVIAE MONTIVM
ANGARIAE ET WESTPHALIAE
RELIQVA


PRAESIDE
IOACHIMO GEORGIO DARIES

PHIL. ET I. V. D.
SERENISSIMO DVCI SAXO-VINARIENSI ET ISENACENSI
A CONSILIIIS AVLICIS PHILOSOPHIAE MORALIS
ET POLITICES P. P. O. PHILOSOPHORVM OR-
DINIS H. T. DECANO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
D. VI. MAII MDCCL.
SVBMITTET

DAVID ORTLIEBIVS

S. S. THEOL. CVLTOR
ALSATVS.

—————
IENAE, LITTERIS MEYERIANIS.



DISSERTATIO
IVRIS NATVRALIS
DE
GENVINA IVRIS VOLVNTARII
SPECIATIM DIVINI INDOLE EIVS-
QVE A IVRE NATVRALI
DISCRIMINE.



§. I.



Quemadmodum in quacun-
que propositione, quae non primitiua est, com-
binationem praedicti cum subiecto, In legibus
materiale a
formali di-
stinguendum
est.
seu *propositionis materiale*, a ratione,
per quam combinata sunt, seu *propo-
sitionis formali* distinguere debemus:
ita et mearum erit partium, vt in rationes, per quas
A ius

ius voluntarium a iure naturali diuersum rationi conueniens est, inquisiturus, ostenderem differentiam inter ius voluntarium, quod legum materiale, et ius voluntarium, quod legum formale spectat. Leges enim sunt propositiones seu veritates morales, ideoque indolem legum explicaturus, quae de propositionibus demonstrata sunt, ad leges adcommodare debet.

§. II.

Materiale legis magis explicatur.

Primo de differentia Legum quoad materiale spectatarum. *Materiale legis*, quod a non-nullis *pars legis definitiua* a) vocatur, est ipsa propositio obligatoria, seu norma, ad quam actiones liberae componendae sunt. Quare, quum subiectum legis sit actio libera, et praedicatum bonitas vel prauitas actionis; manifestum est, legis materiale esse combinationem bonitatis vel prauitatis cum actione libera. Eiusmodi combinationem pars legis definitiua praestitit enunciat.

SCH. Sic v. g. *lex neminem laede*, est practica enunciatio propositionis theoreticae: *actio qua, quis alterum laedit, imperfecta est.* Porro: *si laeferis, damnum resarci*, est practica enunciatio propositionis theoreticae: *actio laedentis, qua damnum resarcit, est perfecta.* Et quae reliqua.

a) vid. GRAMMICHII *placidas et modestas vindicias legum diuinarum posituarum vniuersalium.* p. 7.

§. III.

Ratione materialis leges primo sunt

Confido, intelligi ex dictis duo esse legum materialiter spectatarum genera, quorum alterum ex natura

tura propositionis, alterum ex natura propositionis practicae fuit. Quoad primum hac ratione argumentor: vel naturales vel non naturales. Ratio combinationis predicati cum subiecto, id est, bonitatis vel prauitatis cum actione libera sufficiens (§. 2.) aut est in actionis liberae essentia, aut non. Si illud, *leges sunt naturales*, si hoc, *leges compendii causa non-naturales* vocabo.

SCH. Ex ipsa laesionis essentia fuit, actionem, qua quis alterum laedit, esse imperfectam, ideoque *lex neminem laedere*, est naturalis. E contrario *lex*, quae numerum testium septenarium in testamento requirit, est non-naturalis; eiusmodi enim requisitum ex testamenti factionis essentia nulla ratione inferri poterit.

§. IV.

Quum *leges materialiter naturales* eiusmodi naturales suae vel necessariae vel contingentes. sint propositiones practicae, in quibus praedicatum cum subiectis ea ex ratione combinata sunt, quam essentiae subiectorum exhibent sufficientem (§. 3.); essentia autem subiecti tam in se, quam ea ratione spectari possit, qua per circumstantias magis determinata est: sequitur, *leges naturales* esse vel *necessarias* vel *contingentes*. Quumque necessario subiecto competat, quod huic per essentiam in se consideratam inest, contingenter vero, quod huic non inest per essentiam in se consideratam: merito inde colligimus, *leges materialiter naturales* esse *necessarias*, si ratio combinationis sufficiens praedicati cum subiecto sit in essentia subiecti in se considerata; *contingentes* vero, si ratio illa combinationis sit in essentia subiecti non in se, sed ea ratione

considerata, qua per circumstantias magis determinata est.

§. V.

Harum natura magis explicatur.

Colligimus inde: *legem illam naturalem contingentem esse conclusionem ratiocinationis, cuius maior est lex naturalis necessaria, et cuius minorem circumstantiae subiecti exhibent.* Quum enim lex materialiter naturalis atque contingens sit lex, cuius rationem sufficientem exhibet essentia subiecti per circumstantias magis determinata (§. 4.): consequens est, ut eiusmodi lex sit propositio, quae ex adplicatione eius, quod per essentiam subiecti bonum vel malum est, ideoque ex adplicatione legis materialiter naturalis atque necessariae obuias ad circumstantias concipitur (§. cit.). Propositio, quae ex adplicatione determinatae cuiusdam propositionis ad aliam quandam propositionem colligitur, est conclusio ratiocinationis, cuius maior est illa, et minor haec propositio. Manifestum, itaque est, legem illam naturalem contingentem esse conclusionem ratiocinationis, cuius maior est lex naturalis necessaria, et cuius minorem subiecti circumstantiae exhibent.

SCH. Sic si syllogismum construam.

Quicquid efficit, ut ciues commode viuere nequeant, id in ciuitate vitandum est.

Obuiis sub circumstantiis, ut comprimere frumentum efficiet, ut ciues commode viuere nequeant.

Obuiis ergo sub circumstantiis frumentum non comprimendum est.

prima propositio seu maior erit lex materialiter naturalis



rad3 atque necessaria. *Alter*a, seu minor, erit propositio, quam circumstantiae civitatis exhibent, *postrema* lex materialiter naturalis atque contingens.

§. VI.

Haec de legibus materialiter naturalibus: progredimur ad naturam legum materialiter non-naturalium. Sapientes ex longo tempore distinxerunt illa duo, esse *bonum vel malum per rationes morales*, et esse *bonum vel malum per rationes politicas*. Arbitror hunc dicto sensum esse: *Actionem per rationes morales esse bonam*, cuius opposita perfectioni simpliciter repugnat; et *actionem per rationes politicas esse bonam*; cuius opposita perfectioni quidem non simpliciter aduersatur, ex moribus tamen mortalium destruendae perfectionis facile occasionem praebere potest. Ex quo facile intelliges, quid sit actio per rationes morales vel politicas inter malas referenda.

Actionem per rationes morales vel politicas bonam vel malam esse quid

SCH. Sic sodomia est actio per rationes morales mala, simpliciter enim repugnat perfectioni; sororem uxoris mortuae vxorem ducere non est actio per rationes morales mala, fieri tamen poterit, ut per rationes politicas sit mala.

§. VII.

Quum lex materialiter spectata sit combinatio bonitatis vel prauitatis cum actione libera (§. 2); et quum bonitas vel prauitas cum actione libera combinari possit tam per rationes morales, quam per rationes politicas (§. 6): merito inde colligimus, duo esse legum materialiter spectatarum genera. Sunt enim priorem

Inde leges materialiter spectatae sunt vel morales vel politicas.

per rationem *leges morales*, et per rationem posterio-
rem *leges politicae*.

§. VIII.

Illius generis
leges sunt na-
turales et v.v.

Leges illae morales sunt materialiter naturales, et omnes leges materialiter naturales sunt leges morales.
Primum hac ratione euinco: Lex moralis actionem quandam liberam aut ea ex ratione bonam vocat, quia eiusmodi actionis opposita perfectioni simpliciter repugnat; aut ea ex ratione inter malas refert actiones, quia eiusmodi actionis opposita ad acquirendam perfectionem simpliciter requiritur (§. 6. 7.). Manifestum inde est, rationem sufficientem combinationis bonitatis vel prauitatis cum actione libera esse in ipsa actionis essentia, si eiusmodi combinatio legem constituat moralem. Ideoque leges illas morales esse materialiter naturales (§. 3). Q. e. p.

Ponamus porro legem materialiter naturalem: consequens erit, bonitatem vel prauitatem cum actione libera eam per rationem sufficientem esse combinatam, quam ipsa actionis essentia exhibet (§. 3), ideoque oppositum perfectioni simpliciter repugnare. Quare, quum eiusmodi ratio constituat leges morales (§. 6. 7), sequitur, vt leges materialiter naturales sint leges morales, Q. e. a,

§. IX.

Haec vero
sunt non-na-
turales.

Leges materialiter non-naturales, quae ad normam rationis directae, non sunt leges morales, sed politicae.
Primum ex commate praecedente immediate fluit. Le-
ges

ges enim morales sunt materialiter naturales. Ergo leges non-naturales inter morales referri nequeunt. *Alternim* hac ratione evinco: ponamus leges materialiter non-naturales ad normam rationis directas esse: consequens erit, eiusmodi leges id praescribere, quod ad acquirendam aut conseruandam perfectionem opus est. (§. 144 I. N), ideoque id, cuius oppositum aut perfectionem simpliciter destruit, aut ad destruendam perfectionem, ex moribus mortalium facile occasionem praebere potest. Pone tertium, et pones leges ad normam rationis minime directas. Quare, quum primum det leges morales (§. 6. 7), ideoque naturales (§. 8), de quibus hoc in commate non est sermo: sequitur, vt leges materialiter non-naturales, quae ad normam rationis directae, sint leges politicae (§. 6. 7).

§. X.

Haec de differentia legum materiali ex natura propositionis concipienda: progredimur ad materialem legum differentiam, quae in natura propositionis practicae latet. vid. §. 3. Haec est natura propositionis practicae, vt scopus quidam rationem combinationis praedicati cum subiecto exhibeat. Hac ex ratione argumentor. Quum leges sint propositiones practicae, necesse erit, vt lex ad normam rationis directa aut scopum obuia rei essentialem; aut remedia exprimat ad scopum illum obtinendum necessaria. Illius generis leges vocabo *leges fundamentales*, et huius generis; *leges non fundamentales seu secundarias.* a)

Ratione materialis leges porro sunt vel fundamentales vel non-fundamentales.

a) vid.

a) vid. LOEBER Dissert. de Legibus naturae secundarii ad leges matrimoniales de incestu Leu: XVIII. propositas.

§. XI.

Inter has referuntur leges materialiter naturales atque contingentes. *Omnes leges materialiter naturales atque contingentes sunt leges non-fundamentales.* Ponamus legem materialiter naturalem atque contingentem, ratio combinationis bonitatis vel prauitatis cum actione libera erit in ipsa subiecti essentia per circumstantias magis determinata (§. 4.). Ex quo manifestum est, eiusmodi legem tale non exprimere, quod subiecto absolute posito cogitari potest. Ideoque eiusmodi legem non exprimere scopum obuiiae rei essentialem. Ex quo porro fluit, eiusmodi leges inter leges fundamentales non esse referendas, atque adeo eiusmodi leges esse non-fundamentales seu leges naturales secundarias (§. 10.).

§. XII.

Inter has referuntur leges politicae.

Ex eadem porro ratione, ex qua leges materialiter naturales atque contingentes esse non-fundamentales in commate praecedente deduxi, fluit, *leges politicas ad normam rationis directas esse leges non-fundamentales.* Quum enim eiusmodi leges ea praescribant, quibus ad acquirendam aut conseruandam perfectionem per rationes politicas opus est (per §. 9); sequitur, ut eiusmodi leges non id, quod subiecto absolute posito cogitare potest, sed media ad scopum essentialem obtinendum ex moribus mortalium necessaria exprimant (§. 6.). Ideoque ut eiusmodi leges sint non-fundamentales seu secundariae (§. 10.).

§. XIII.

§. XIII.

Leges materialiter spectatae sunt vel naturales vel non-naturales. (§. 3). Leges non-naturales ad normam rationis directae sunt politicae (§. 9), ideoque non-fundamentales (§. 12). Leges naturales sunt vel contingentes vel necessariae (§. 4), et contingentes sunt non-fundamentales. (§. 11.). His perpensis sequitur, leges fundamentales rationi conuenientes esse leges naturales necessariae.

Leges fundamentales sunt naturales necessariae.

§. XIV.

Quamuis omnes leges fundamentales rationi conuenientes sint leges naturales necessariae: inde tamen non sequitur, vt *omnes leges materialiter naturales atque necessariae sint leges fundamentales.* Quum enim leges materialiter spectatae ea ex ratione naturales atque necessariae sint, quia ratio sufficiens combinationis bonitatis vel prauitatis cum actione libera sit in essentia subiecti in se spectata (§. 8); Quum porro ex logicorum praeceptis euidentis sit, fieri posse, vt ex ipsa scopi essentia absolute spectata inferantur remedia, quae eiusmodi scopum existentem reddere possunt: manifestum est, fieri quoque posse, vt leges materialiter naturales atque necessariae sint leges non-fundamentales seu secundariae. (§. 10).

Minime tamen omnes leges naturales necessariae sunt fundamentales.

SCH. Accipe L. B. dictorum exempla. *Lex, conseruate ipsum*, est lex naturalis necessaria, quae exprimit scopum essentialem, item, *quaeras tranquillitatem reipublicae*, est posita ciuitate lex naturalis necessaria, quae scopum ciuitatis essentialem indicat, ideoque sunt

B

leges

leges naturales necessariae fundamentales. *Lex neminem laedas*, est lex naturalis necessaria sed non fundamentalis, innuit enim remedium ad sui-ipsius conseruationem necessarium, et quod ex ipsa rei essentia absolute posita fluit. Porro *Lex: fac ut quilibet ciuium pro statu suo commode uiuere possit*, inuoluit remedium ex ipsa ciuitatis essentia absolute posita fluens, et quod ad obtinendam ciuitatis tranquillitatem, necessario requiritur, ideoque est lex naturalis posita ciuitate necessaria et non - fundamentalis. *Lex: non comprimas frumentum* quam Sch. §. 5. posui, est lex naturalis contingens, quae ex ipsa ciuitatis essentia per circumstantias determinata deducit remedium, quo sine scopus ciuitatis positus sub circumstantiis obtineri nequit. Ideoque est lex naturalis non - fundamentalis seu secundaria. Tandem lex Romanorum *de mutua pecunia filio familias non danda* est lex politica, quae id prohibet, quod ex moribus populi facile violandi illud naturale: *neminem laedas*, occasionem praebet potest.

§. XV.

Eiusmodi legum politicarum

Inquiramus in eiusmodi legum politicarum atque legum naturalium contingentium possibilitates. Illarum causa hac ratione argumentor: hi sunt mortalium mores, quos quotidiana docet experientia, ut libertatem ea agendi, quae per se licita sunt, saepissime abutantur, et occasionem inde arripiant ea efficiendi, quae verae perfectioni aduersantur. Quae cum ita sint, manifestum est, iustitiae seu bonitatis sapienter administratae esse, ut eiusmodi actiones in se licitas mortalibus prohibeat. Hoc facto actiones illae rationes per politicas sunt malae (§. 6), et leges, quae eiusmodi actiones prohibent, sunt politicae ad normam

mam rationis directae (§.7.9), et leges non-fundamentales seu secundariae (§.10). Ita eiusmodi legum politicarum possibilitas satis euicta est.

§. XVI.

Harum causa sequens forma ratiocinium: quae ^{et naturalium} ex essentia rei absolute considerata fluunt, ^{contingen-} saepissime ^{tium possibili-} ita comparata sunt, ut non nisi per circumstantias, ^{tas demon-} quae adueniunt, satis determinari queant. (§.613 ff. I. N.). Leges naturales necessariae ex ipsa rei essentia absolute considerata sequuntur (§.4). Ergo et fieri potest, ut eiusmodi legum natura ita comparata sit, ut non nisi per circumstantias obuenientes omnimode possint determinari. Fiat eiusmodi determinatio, et lex, quae inde oritur, erit naturalis contingens (§.4). Ponamus, hanc determinationem innuere obuiam rei scopum, hic aut scopo rei essentiali repugnat, aut huic scopo conueniens est. Illud non est consentaneum. Si hoc, scopus ille essentialis aut intrinsece aut extrinsece magis determinatus est. Illud iterum inuoluit, quae inter se non cohaerent. Si hoc, facile patebit, eiusmodi determinationes solummodo indicare remedia, quae ad scopum illum essentialem obtinendum obuiam circumstantiae exhibent. Dicta sufficient, ad possibilitatem legum ^{naturalium} contingentium, quae non-fundamentales sunt, demonstrandam (§.4.10).

§. XVII.

Iam ad alteram legis partem, legis nimirum formale progredimur, quod agit de obligatione. Notum ^{Obligatio est} ^{vel moralis} ^{vel politica} est

est ex Iure naturali, obligationem constituere motiua cum legibus eam ob causam connexa, vt mortales ad obseruandas leges impellant. Motiua quum sint repraesentationes boni vel mali; et quum bonum vel malum aut sit tale per rationes morales aut tale per rationes politicas (§. 6); merito inde colligimus, duo esse obligationum genera, sunt nimium *obligationes vel morales vel politicae*.

§. XVIII.

Quarum natura magis determinatur.

Actio obligationi morali repugnans, simpliciter aduersatur perfectioni. Ex eo vero, quod actio obligationi politicae repugnat, non statim inferri potest, eiusmodi actionem perfectioni aduersari. Primam ad corroborandam thesin sequens formo ratiocinium. Actione obligationi morali repugnante id committitur, quod per rationes morales malum est (§. 17). Quicquid per rationes morales malum est, id perfectioni simpliciter repugnat (§. 6). Ergo et actio obligationi morali repugnans perfectioni simpliciter aduersatur. Q. e. p.

Ad alteram thesin probandam, hac ratione arguuntor: Quicquid per rationes politicas inter mala referendum, id perfectioni non simpliciter aduersatur, ex moribus tamen mortalium destruendae perfectionis facile occasionem praebere potest (§. 6). Hac ex notione manifestum est, certis sub determinationibus fieri posse, vt is non agat mala, qui id, quod rationes per politicas inter mala referendum, committit. Quare, quum actione obligationi politicae repugnante id, quod rationes per politicas malum est, committatur (§. 17): sequitur, vt ex eo, quod actio obligationi politi-

politicae repugnat, non statim inferri possit, eiusmodi actionem perfectioni aduerfari. Q. e. a.

SCH. Sic non statim perfectionem destruit, qui forem mortuae vxoris vxorem ducit, licet sit actio rationes per politicas inter malas referenda. Ex quo facile intelliges, obligationes politicas non sine ratione a nonnullis persuasiones vocatas esse.

§. XIX.

His praemissis, facile vnusquisque intelliget, ad finem mihi in hac dissertatone praefixum solummodo requiri, vt curatius in eam legum formaliter spectatarum differentiam indagem, quae ex obligatione morali cum legibus connexa descendit. Huius causa argumentor: motiua, quae obligationem cum lege connexam constituunt, aut ex ipsa subiecti legis essentia legitime fluunt, aut in eiusmodi subiecti essentia rationem sufficientem non continent. Si illud obligatio erit *naturalis*, et si hoc, obligatio *non-naturalis*, quam nonnulli *obligationum praeternaturalem* vocant. Ex quo colligimus, leges quoque ratione formalis esse vel *naturales* vel *praeternaturales*, seu *non-naturales*.

Leges ratione formalis sunt vel naturales vel praeternaturales.

§. XX.

Porro inde colligimus, leges ratione formalis naturales esse vel *necessarias* vel *contingentes*. Quum enim motiua, quae obligationem illam naturalem constituunt, rationem sufficientem in ipsa subiecti essentia habeant (§. 19): consequens est, fieri posse, vt ratio illa sufficiens aut sit in subiecti essentia in se considerata, aut in subiecti essentia per circumstantias magis

Illae sunt vel necessariae vel contingentes

determinata. *Priori ratione*, leges quoad formale naturales sunt *necessariae*, et *posteriori ratione*, sunt *leges contingentes* (§. 4).

SCH. Notionem violationis pacti in se spectatae euolurus facile perspiciet, eiusmodi violationem acceptanti dare ius promittenti inferendi mala. Hoc, quod inde sequitur, constituit obligationem naturalem necessariam ad promissa praestanda. Ponamus porro Caium pactorem cum patrono fecisse. Eiusmodi circumstantiae obligationem illam naturalem magis determinabunt, et inde obligatio naturalis contingens descendet.

§. XXI.

cum legibus
materialiter
naturalibus
obligatio
praeternatu-
ralis connecti
potest.

Et huc vsque differentiam legum ratione formalis explicauimus. Inquiramus in dictorum possibilitatem. Huius causa *primo* pono hanc thesin: *per iustitiam fieri potest, ut cum lege morali materialiter naturali obligatio moralis praeternaturalis connectatur, eandemque hac ratione demonstro.* Quum iustitia sit bonitas sapienter administrata, et quum bonitatis sit efficere, ut leges morales materialiter naturales obseruentur: sequitur, ut iustitiae sit remedia ad obseruandas leges naturales ponere sufficientia. Inter eiusmodi remedia obligationes quoque morales referri debent (§. 17). Ex quo manifestum est, per iustitiam fieri posse, ut cum legibus moralibus materialiter naturalibus obligatio moralis praeternaturalis connectatur, si nimirum obligatio moralis mortalium animos ad obseruandas leges naturales non satis excitet (§. 19).

§. XXII.

§. XXII.

Porro patet , *feri non posse* , *ut iustitia cum legibus materialiter naturalibus obligationes morales praeternaturales connectat* , nisi obligatio moralis cum eiusmodi lege per naturam connexa ad scopum legum obtinendum sit insufficientis. Quum enim sapientia nil agat nisi cum sufficiente ratione; et quum iustitia sit bonitas pro sapientia administrata: sequitur, fieri non posse, ut iustitia cum legibus obligationes connectat, nisi cum sufficiente ratione. Ponamus, obligationes morales naturales ad scopum legum obtinendum sufficere, nulla erit ratio, per quam praeternaturalis obligatio moralis cum eiusmodi legibus connectatur (§. 19). Manifestum itaque est, iustitiam cum legibus materialiter naturalibus obligationes praeternaturales non connectere, si naturales obligationes cum eiusmodi legibus connexas ad scopum legum obtinendum sufficientiant.

Eiusmodi tamen nexus constitui nequit nisi naturalis obligatio sit insufficientis

§. XXIII.

Tandem haec est mea sententia: *feri posse* , *ut iustitia cum legibus quoad materiale politicis, quae ad normam rationis directae sunt, obligationes connectat morales*. Huius veritatem hac ratione evinco: Leges politicae ad normam rationis directae expriment remedia ad perfectionem essentialem obtinendam ex moribus mortalium necessaria (§. 12). Iustitiae itaque est, ut cum eiusmodi legibus, quae positae sunt, talia connectat motiva, quae sufficient ad animos mortalium,

cum legibus ratione materialis politicis obligatio moralis connecti potest.

vt

vt leges illas obseruent, excitandos (per dem. §. 11). hoc posito manifestum est, per iustitiam fieri posse, vt cum eiusmodi legibus politicis obligationes connectantur morales. (§. 17).

§. XXIV.

Ex quibus nonnullae inferuntur conclusiones.

Colligimus ex dictis *primo*, fieri posse, vt lex quoad materiale naturalis sit ratione formalis non-naturalis (§. 21). *secundo* obligationem non-naturalem, quae cum lege materialiter naturali connexa, essentia naturali vehementiorem (§. 22). *Tertio*, fieri posse, vt lex quoad formale moralis sit ratione materialis politica (§. 23). *Quarto*, leges politicas fieri morales, si cum eiusmodi legibus obligatio moralis sit connexa (§. 7. 17). *Quinto* leges poni posse, quae et quoad materiale et quoad formale sunt non-naturales (§. 3. 7. 19. 23). Et quae reliqua,

SCH. Sic lex, qua poena capitalis homicidio constituitur, est quoad materiale naturalis, et quoad formale non-naturalis, et obligatio haec moralis non-naturalis vehementior est obligatione naturali cum lege illa connexa. Porro poena cum lege de non ducenda mortuae uxoris forore connexa dat obligationem moralem ad legem illam, quae quoad materiale politica est, obseruandam, ideoque efficit, vt lex illa politica accipiat vim legis moralis. Reliqua.

§. XXV.

Ex dictis conclusio quaedam generalis inducitur.

Praeterea haecenus ex explicatis inducimus, *leges morales aut quoad materiale aut quoad formale non-naturales, si ad normam rationis directae, esse leges secundarias, id est, tales quae remedia ponunt ad leges materi-*

materialiter naturales obseruandas necessaria. Leges morales quoad materiale non-naturales ad normam rationis directae sunt leges politicae (§. 19). Eiusmodi vero leges si ad normam rationis directae expriment remedia ad leges materialiter naturales obseruandas, seu sunt leges secundariae (§. 12). Leges morales quoad formale non-naturales et quoad materiale naturales exhibeant obligationes naturalibus vehementiores ad animos mortalium, vt leges naturales obseruent, excitandos (§. 21. 22). Ea itaque ratione, qua sunt non-naturales, ponunt remedia ad leges naturales obseruandas necessaria. Leges tandem morales, quae et materialiter et formaliter non-naturales ad normam tamen rationis directae, sunt leges politicae, cum quibus obligationes morales eum in finem connexae, vt mortalium actiones ad leges naturales obseruandas dirigi queant. (§. 19. 23. 24). Inductionis itaque ope propositio, quam posui manifesta est.

§. XXVI.

His obseruatis, ea, per quae ius voluntarium rationi conueniens possibile est, facile explicari possunt. Intelligimus vero per *ius voluntarium leges morales*, quas superior ex libera sua voluntate mortalibus dedit. Ponas superioris loco Deum, et intelliges, quid sit ius diuinum voluntarium. Ius hocce a non-nullis vocatur positium, quia voluntate quadam ponitur.

Ins voluntarium speciatim diuinum quid

SCH. I. GROTIUS *) de iure diuino voluntatio hac ratione loquutus est: Ius voluntarium diuinum quod sit, fatis ex ipso vocum sono intelligimus? id nimirum, quod

C

quod ex voluntate diuina ortum habet. Dixi ius voluntarium esse *leges morales*. Rationem ita accipe: Ius voluntarium determinat leges, ideoque vel morales vel politicas (§. 7). Leges politicas, quae tales, ad ius voluntarium non referri manifestum est. Ideoque leges, quas ius voluntarium constituit, morales sunt. Conf. Magni verae Iurisprudentiae restauratoris per-Illustris de COCCENI obseruationes ad locum citatum GROTII.

SCH. II. Dixi porro, ius voluntarium a voluntate superioris dependere. Sed fortasse dixerit quispiam, leges conuentionales, et praecepta, quae ad ius Gentium voluntarium pertinent, esse iuris voluntarii, ideoque non omne ius voluntarium a libera superioris cuiusdam voluntate dependere, Hic sciat, me huic opinioni non repugnare, sed sermonem hoc loco solum esse de iure voluntario strictè sic dicto.

a) de I. B. et P. Lib. I. Cap. I. §. XV.

§. XXVII.

et quando
proprie tale

Leges morales, quas superior libera sua ex voluntate mortalibus dedit, aut vt cum scholasticis loquar, antecedenter ad voluntatem superioris sunt leges morales, aut solummodo consequenter. Si *prius*, minus accurate ad ius voluntarium referuntur. Non enim sunt leges morales, quia superior voluit, sed superior eiusmodi leges vult, quia sunt leges morales. Ideoque eiusmodi leges sunt leges naturales voluntate superioris adoptatae seu adprobatae. Ex quo patet, posterius dare ius voluntarium proprie sic dictum, ideoque ad ius voluntarium proprie sic dictum pertinere leges morales, quae ea ex ratione sunt leges morales, quia superior, vt sint tales, voluit.

SCH.

SCH. Dicta vsui loquendi non repugnare manifestum est ex verbis **KLAUSINGII a)**. Leges positivae dupliciter accipiuntur, 1. laxiore sensu, quomodo omnes leges et diuinae et humanae, quae legi naturali superadditae sunt, siue arbitrariae illae sunt, siue necessariae, dicuntur positivae. Hoc sensu non tantummodo Scholasticis, nominatim **SVAREZIO b)**, verum etiam quibusdam ex nostratibus Theologis lex moralis decalogica, lex diuina positiva vniuersalis nuncupatur. 2. Angustiore sensu pro legibus arbitrariis quas legislator Deus aliter ferre potuisset, et postquam tulit, mutare potest, contrarium vel praecipiendo vel prohibendo. Reliqua.

a) *In dissert. de Legibus diuinis positivis vniuersalibus.*

b) *In Tr. de legibus Lib. VIII.*

§. XXVIII.

Ius hocce voluntarium proprie sic dictum, aut tale est quoad materiale, aut quoad formale. Aut enim ipsa propositio obligatoria, quae ius voluntarium constituit, aut solummodo obligatio moralis cum lege connexa ex libera superioris voluntate proficiscitur. Si illud, *ius ratione materialis*, et si hoc, *ratione formalis est voluntarium*.

Quod vel quoad materiale vel quoad formale tale est.

§. XXIX.

Superior, qui iustus est, ideoque Deus ius voluntarium naturali repugnans constituere nequit. Quum enim ius voluntarium naturali repugnans aut verae perfectionis conseruationi aut verae perfectionis adquisitioni aduersatur (§. 145 I N): sequitur superiorem, ius voluntarium naturali repugnans ponentem, factis declarare,

Iuris voluntarii requisitum primum

rare, vt non sit bonus. (§ 93 Th. nat.). Quicquid bonitati repugnat, id per iustitiam fieri nequit (§. 95 Th. nat.). Ideoque manifestum est, per superiorem iustum atque adeo per Deum fieri non posse, vt ius voluntarium naturam repugnans constituatur.

§. XXX.

Secundum

Porro ad explicandam iuris voluntarii naturam hancce pono thesin: *fieri non posse, vt iustus superior ideoque Deus ius voluntarium constituat, nisi ratione obiectiua, seu, nisi sit tale ius, quod ad acquirendam vel conseruandam mortalium perfectionem requiritur.* Quum enim iustus superior ideoque Deus, qui ius voluntarium constituit, bonitatem pro sapientia administret (§. 95 Th. nat.); et quum bonitas sit promptitudo voluntatis entia extra se posita perfectiora reddendi (§. 93 Th. nat.): manifestum est, per iustitiam fieri non posse, vt ius aliquod voluntarium constituatur, nisi tale, quod ad acquirendam vel conseruandam mortalium perfectionem requiritur.

SCH. Is itaque conceptus, quem de iustitia diuina habemus, non permittit, vt ad sententiam GRAMMELICHII *a*) accedamus, qua docet: Deum legem de arbore vetita Adamo dedisse, vt *primo*, absolutissimum suum dominium in protoplastos, pariter et in omnes Paradisi arbores, imo, in omnes creaturas, homini probaret; *deinde*, vt homini explorandae obedientiae materiam praestaret. Hoc enim ponere idem est, ac Deum iniustum vocare,

a) l. c. §. VI.

§. XXXI.

§. XXXI.

Addimus tertium iuris voluntarii a superiori iusto et Tertium ideoque a Deo constituti requisitum, quod ex hactenus dictis immediate sequitur, nimirum *eiusmodi ius non esse nisi leges morales non-naturales ad normam rationis directas*. Primum enim ex ipsa iuris voluntarii notione cum iuris naturalis definitione collata manifestum est (§. 27. 3. 19.). Alterum patet ex §. 30. Coll. §. 144. I. N.

§. XXXII.

His ex praemissis colligimus *primo*. Ius voluntarium diuinum vel generatim ius quod libera ex voluntate iusti superioris proficiscitur, esse leges secundarias seu non-fundamentales, quarum scopus vltimus est, animos mortalium ad obseruandas leges naturales excitare (§. 25). *Secundo*. Ius diuinum voluntarium, si solummodo ratione formalis sit tale, esse leges morales materialiter naturales, cum quibus per voluntatem Dei obligationes praeternaturales naturalibus vehementiores connexae sunt (§. 24. 25. 31). *Tertio*, ius diuinum voluntarium quod ratione materialis tale, esse leges politicas, cum quibus per voluntatem Dei eum in finem obligationes morales sunt connexae, vt fiant ad leges naturales obseruandas remedia obligatoria, (§. 9. 25. 31). *Tandem*. Deum vel generatim iustum superiorem non constituere ius voluntarium, nisi ius naturale ad acquirendas et conseruandas perfectiones sit insufficiens (per dem. §. 22 et 30). Reliqua.

Non-nulla ex dictis inferuntur corollaria.

Iuris diuini
voluntarii
possibilitas.

Eiusmodi ius diuinum voluntarium possibile esse, hac ratione euinco: Ius diuinum voluntarium est tale vel quoad materiale vel quoad formale (§. 28) Illud est ius naturale, cum quo obligatio moralis praeternaturalis naturali vehementior connexa (§. 32), ideoque per iustitiam Dei possibile (§. 21). Hoc est lex politica, quae per voluntatem Dei accipit obligationem moralem (§. 32). Ergo et fieri potest, vt eiusmodi ius a iustitia diuina constituatur (§. 23). Ex quo induco: ius diuinum voluntarium, quod in praecedentibus explicatum, esse possibile.

§. XXXIV.

per necessitas
demonstratur

Non per Dei solum iustitiam fieri potest, vt eiusmodi ius voluntarium mortalibus constituatur, *sed ea quoque est mortalium conditio, vt eiusmodi ius diuinum voluntarium, inter ea possit referri, quae necessaria videntur.* Quum enim Deus ea ex ratione, quia iustissimus est, non velit solum, vt a mortalibus leges naturales, quae ad conseruandas et acquirendas perfectiones tendunt, obseruentur, sed et remedia eiusmodi ad scopum obtinendum penat §.); sequitur, per iustitiam Dei necesse esse, vt cum legibus naturalibus obligationes connectantur sufficientes, et vt mortales moraliter obligentur, ad ea euitanda, quae libertate abutendi occasionem facile praebere possunt, (§.). Ea est hominum conditio, vt obligationibus per naturam cum legibus naturalibus connexis ad eiusmodi leges

leges obseruandas non moueantur, et vt ex libertate ea agendi, quae per se non illicita sunt, saepissime arripiant occasionem libertate abutendi. Ergo et per iustitiam Dei necesse est, vt cum legibus naturalibus obligationes morales naturalibus vehementiores connectat, et vt non-nulla per se non illicita hominibus prohibeat. Quare, quum primum det ius diuinum quoad materiale voluntarium, et alterum, ius diuinum quoad formale voluntarium (§. 32.): manifestum est, eam esse mortalium conditionem, vt ius diuinum voluntarium, de quo dixi, inter ea posse referri, quae necessaria videntur.

SCH. I. Meam ad sententiam magis magisque confirmandam respondebo ad argumentum, quo THOMASIVS a) contrariam corroborare voluit. In ea nimirum fuit opinio, Deum in *v. t.* non tam Dominum egisse aut Regem, qui leges externas praescripserit, sed benignissimum patrem, qui non nisi monita paterna dederit, quae non externam, sed internam potius obligationem produxerint. Neque enim Deum ferre leges proprie sic dictas, utpote quae hominibus ferantur et ab hominibus; nam de Deo nullum praedicatum creaturae proprie dici. Sed *primo* concedo Deum egisse patrem benignissimum, nego tamen consequentiam. Summae enim benignitatis signum esse potest iustas filiis constituere leges. *Secundo* si sermo sit de legibus, quae ratione subiectiua praescribuntur, concedo, per benignitatem atque iustitiam Dei fieri non posse, vt eiusmodi ratione leges mortalibus constituantur. Datur tamen alia ratio, qua leges proprie sic dictae dari possunt, nimirum obiectiua. *Tandem* non simpliciter sed sub limitatione solum concedo, de Deo nullum praedicatum creaturae proprie dici. Praedicata enim

enim, quae creaturis competunt, aut ad ea pertinent, per quae finitae sunt, aut inter creaturarum perfectiones absolutas referendae sunt. *Illius generis praedicata de Deo proprie dici nequeunt. Huius vero generis praedicata Deo omnino insunt. Iustas mortalibus dare leges est effectus benignitatis, non finitae, sed absolutae. Ergo et de Deo eiusmodi praedicatum merito dicitur.*

SCH. II. Perspicuitatis ergo eiusmodi ius voluntarium mortalibus a Deo constitutum esse exemplis docebo. Decem Dei praecepta excepto tertio, si quoad materiale spectentur, sunt iuris naturalis, ratione formalis vero, sunt iuris voluntarii. Formalia enim illa exhibent obligationes morales praeternaturales naturalibus vehementiores. Tertium illud praeceptum etiam quoad materiale iuris voluntarii est. Natura non determinat dies atque horas, quibus in acquirendas facultates externas, et quibus in acquirendam virtutem curas cogitationesque nostras conferre debemus. Haec vero naturalis libertas hominibus dat occasionem negligendi animum, omnique cogitatione atque cura in acquirendas facultates externas incumbendi. Per iustitiam itaque diuinam, qua vult, ut omnes homines perficiantur, necesse est, ut eiusmodi naturalis libertas restringatur. Hac ex ratione tertium illud praeceptum posuit benignissimus Deus, suamque per voluntatem obligationem moralem cum eadem connexuit.

§. XXXV.

Conuenientia
Iuris voluntarii
cum iure
naturali demonstratur.

Iam facile erit docere tam conuenientiam iuris diuini voluntarii cum iure naturali, quam illius ab hoc discrimine. Ratione conuenientiae hancce pono thesion: *Idem est et iuris voluntarii iuste positi ideoque iuris voluntarii diuini, et iuris naturalis scopus, quam hac argu-*

argumentatione confirmo : scopus iuris naturalis est conseruatio et adquisitio verae perfectionis mortalium (§. 145 I. N.). Ius voluntarium iuste positum ideoque et diuinum aut tale est ratione formalis aut ratione materialis. Si illud, cum legibus naturalibus obligationes morales naturalibus, quia non sufficiunt, vehementiores connectit, quo animi mortalium ad obseruandas leges naturales moueri queunt. Si hoc, mortales moraliter obligat, ad ea, quae per se non illicita sunt, vitanda, quia libertas illa agendi ex moribus mortalium occasionem leges naturales violandi dedit. (31. 32). Idem itaque est eiusmodi iuris voluntarii scopus, qui est scopus iuris naturalis.

SCH. I. Sunt, qui ius naturale et ius diuinum voluntarium ratione scopi diuersa esse existimant, veluti GRAMMLICHVS a) suam hac de re sententiam hisce explicat verbis : *Quaecumque lex versatur circa ea, quae connexionem habent cum natura hominis socialis est naturalis, prout commune illud principium cognoscendi in iure naturae habet; e contrario autem, quaecumque lex occupatur iis, quae ad naturam hominis socialem non spectant, ea positiva est.* Sed eius, modi argumentatio, vt hancce ad sententiam accedam, me non mouet. Ponamus, principium cognoscendi iuris naturalis hocce esse Pufendorffianum : *socialiter viuas*; minime tamen legitima erit haecce consequentia : *Quicquid connexionem habet cum natura hominis sociali, id est iuris naturalis.* Distinguendum enim est, vtrum eiusmodi connexionis ratio sufficiens sit in rerum essentiis, nec ne. Illud, non vero hoc, iuris naturalis praecepta determinat (§. 3). Quae quum ita sint, non absurdum est, existimare, consequentiam illam hac ratione formandam esse : *Quicquid*

D

connexio-

connexionem habet cum natura hominis sociali, idiuri naturali conueniens est. Sed hoc non sufficit ad probandum: idem esse iuris naturalis.

a) L. c. §. XVIII.

SCH. II. Dixi in meditatione de ciuitate Dei §. XLIII: leges a Deo latas esse naturales. Fortasse dixerit quispiam, hancce sententiam cum ea, quam in praecedentibus explicauimus, non congruere. Hi vero sciant, demonstrationem, qua principium illud corroborauimus, satis docere, hunc esse illius principii sensum: Ratio legum, quas Deus fert, in conseruanda et adquirenda mortalium perfectione ponitur. Illae itaque sententiae minime in diuersum tendunt.

§. XXXVI.

Discrimen
quod inter
ius nat. et vol
intercedit
primum

Haec de conuenientia iuris naturalis cum iure voluntario iuste posito sufficiant: proximum est, vt de discrimine, quod inter eiusmodi ius voluntarium et ius naturale intercedit, agamus. *Primum* ponitur in causa efficiente. Causa enim, per quam leges naturales sunt moraliter obligatoriae, est rerum essentia (§. 3. 19), causa vero per quam ius voluntarium moraliter obligat, est libera superioris voluntas (§. 27. 28)

XXXVII.

Secundum.

Ex quo sequitur *alterum* quod principium spectat cognoscendi. Quum enim leges naturales per ipsas rerum essentias moraliter obligatoriae sunt: sequitur, vt leges naturales, quatenus sunt moraliter obligatoriae, solo intellectus atque rationis vsu possint cognosci.

ci. Quum vero ius voluntarium non antecedenter sed consequenter ad voluntatem superioris sit moraliter obligatorium (§. 27. 28): consequens est, ut ad eiusmodi ius cognoscendum expressa requiratur promulgatio.

SCH. Perspicuitatis causa, velim, ut notes, quae iure voluntario indicantur spectari posse, primo, quatenus sunt veritates, et deinde, quatenus moraliter obligant. Si considerentur, quatenus sunt veritates, concedo, fieri posse, ut nexum veritatum euoluturus hancce in sententiam incidat, ad conseruandam et augendam mortalium perfectionem necessarium esse, ut eiusmodi veritates fiant moraliter obligatoriae. Quum vero ex eo non sequatur, ut sint moraliter obligatoriae: manifestum est, ut liberae voluntatis declaratio sit principium ex quo, eiusmodi veritates moraliter esse obligatorias, cognoscendum.

§. XXXVIII.

Accedit tertium, quod qualitatem eiusmodi legum ^{Tertium.} determinat. *Ius nimirum naturale immutabile est, ius vero voluntarium iustas ob causas potest mutari.* Quum enim essentiae rerum sint immutabiles, sequitur, immutabilia quoque esse, quae in essentia rationem habent sufficientem. Ius naturale et materialiter et formaliter tale in rerum essentis rationem habet sufficientem (§. 3. 19). Manifestum itaque est, eiusmodi ius immutabile esse. Q. e. p.

Ponamus legem poenalem ratione formalis solum voluntariam: consequens erit, cum lege naturali per voluntatem superioris poenam naturali vehementiorem

rem connexam esse, ad animos mortalium, vt leges naturales obseruent, impellendos (§. 32). Ex quo patet, eiusmodi poenae irrogationem a voluntate superioris, a quo constituta est, et non a rerum natura dependere. Iustus superior id vult, quod per bonitatem pro sapientia administratam fieri potest, ideoque vnum alterumue eiusmodi poena iustas ob causas liberare poterit. Eiusmodi itaque ius per superioris voluntatem mutabile est. Q. e. a.

Ponamus porro ius quoad materiale voluntarium: sequitur, mortales per superioris voluntatem moraliter obligatos esse, ad id, quod per se non illicitum est, vitandum, quia libertas id agendi ex mortalium moribus praebet mala agendi occasionem (§. 32). Ex quo manifestum est, non fieri solum posse, vt causa eiusmodi prohibitionis vnus alteriusue ratione cesset, sed et, vt vnus alterque actione eiusmodi legi repugnante veram suam perfectionem conseruare ageat. Quae quum ita sint, iustus quoque superior iustas ob causas eiusmodi legis gratiam facere poterit. Q. e. a.

§. XXXIX.

quod magis
determinatur,

Incidimus inde in illustrem illam quaestionem: *an Principi iustas ab causis ratione iuris voluntarii diuini competat ius adgratiandi atque dispensandi?* Hoc omnino verum est, quod PUFENDORFIVS a) monuit: circa dispensationem indulgendam prudentia opus sit, ne dum ea promiscue conceditur, vis et auctoritas legis

gis eneruetur: vel si-citra grauiſſimas cauſſas reliquis, qui ſunt eiſdem conditionis, denegatur, inuidiae et indignationi cauſa praebeatur, quod aequales aequali gratia digni non ſint habiti. Sed quod ipſam ad quaerſtionem adtinet, hac ratione argumentor: Deus vult, vt Principes adminiſtrent iuſtitiam. Quare, quum huius adminiſtratio requirat, vt iuſtas ob cauſſas iuris voluntarii violatores a poena eiſmodi iure conſtituta liberentur (per dem. m. 2. §. 38.), et vt iuſtas ob cauſas eiſmodi legum gratia fiat (§. per dem. m. 3. §. 38.): ſequitur, Principi quoque per voluntatem Dei eiſmodi poteſtatem adgratiandi atque diſpenſandi competere. *b)*

a) de Iure naturae et Gentium Lib. I. cap. VI. §. XVII.

b) conf. Diſſertatio THOMASII de iure adgratiandi principum circa poenam homicidii. et WINCKLERI Diſſ. de poteſtate LL. ciuiliſ in ius Naturae.

§. XXXX.

Hucusque evoluta ſimul docent methodum explicandi ius voluntarium iuſte conſtitutum. Is nimirum, cuius mens eſt, non tenere legum verba ſed intelligere, *primo* obuia in lege voluntaria materiale legis a formali diſtinguere (§. 1.), et hoc facto *porro* in id inquirere debet, vtrum eiſmodi lex quoad materiale an quoad formale ſit iuris voluntarii (§. 28.). Si lex illa ſolummodo quoad formale ſit iuris voluntarii, *primo* naturam legis naturalis, cum qua eiſmodi obligatio praeternaturalis connexa, *poſt haec*, mores mortalium, qui obligationes naturales inſufficientes effecerunt, euolue-

Methoda ex-
plicandi ius-
voluntarium.

uoluere, et *tandem* ex hisce colligere debet rationes, per quas obligatio illa praeternaturalis a voluntate superioris cum lege naturali est connexa. (§. 29. ff.). Si lex illa quoad materiale inter iura voluntaria referatur, necesse erit, vt *primo* quaerat legem naturalem, cuius caussa eiusmodi lex voluntaria sit constituta, *secundo* vt in mores mortalium inquirat, quorum ratione ex libertate ea, quae eiusmodi lege prohibita sunt, agendi arripuerunt occasionem legem illam naturalem violandi. His euolutis, facile erit *tertio* perspicere causas, ob quas eiusmodi veritas a voluntate superioris inter leges morales est relata. (§. 29. ff.). Et haec quidem in praesenti sufficiant,



AESTV-

AESTVMATISSIMO
RESPONDENTI

S. P. D.

P R A E S E S.

Quum haud eximiam semper voluptatem ex praecclaris iuuenum erectioris animi studiis cepi eorum, qui, quod ipsis diuina benignitas concessit, ingenii talentum omni virium contentione colere laborant, atque in perscrutandis veritatibus progressus faciunt eos, quoscumque ab animo cum maxime industria sperare fas est; tum incredibili sane laetitia perfundor, si industriam cogito, quam TV, in addiscendis altioribus litteris posuisti. Quare quantia me fias et qualem te cognitum iudicem, publice quidem testari nullus dubito; sed quid est, quod hocce tuum, quo TE natura exornauit, excellens ingenium omni cura expolitum, ardorem in litteras sacras cum primis flagrantem, morumque ingenuorum atque ad virtutem compositorum indolem dignis eleuare laudibus coner, cum omnibus, qui TE nouimus, fatis abunde probasti, TE aequalium TVorum cedere nemini. Gratulandi itaque officia non tam TIBI, quam mihi persoluiam, cui tam
felici

felici esse licuit, TE et auditorem habuisse diligentissimum et respondentem eruditissimum. Conflictui enim publico interero testis potius quam moderator. Quod reliquum est, fausta TIBI quaeuis ex animo, DEVMque O. M. etiam atque etiam precor, vt TE, qui iamiam Salanam nostram relinquere in procinctu es, sospitem in patriam redire, atque ciuitati sacrae instrumentum praestare iubeat salutare. Vale, TVOque me amore prosequi perge. Ienae MDCCCL.
d. VI. Maii.

Selehrter Freund! Dein Fleiß zeigt uns
die schönsten Proben;
Die Gründlichkeit legt ihm den innern Vorzug bey;
Ich wünsche, kann ich gleich Dich nicht nach
Würden loben:
Daß bald für Dein Verdienst das Glück erkänntlich sey!

Seinem werthesten Freunde und
Landsmanne, dem Herrn Res-
pondenten bezeuget hierdurch
seine Ergebenheit

Carl Ludwig Wilhelm von Bogheim,
aus dem Nassauschen,
Opponent.